

Fabri, Felix: Evagatorium in Terrae Sanctae, ..., ed. v. C.D. Hassler, Bd. 2, 1843,
enthaltend fol. 183A–291B von Bd. 1 des Autographs (19 555-1) und fol. 2a–74a von
Bd. 2 des Autographs (19 555-2)

zu Bild Nr.

1118

1116

1122

1112

1107

1067

1017

0617

0117

Ende

Anfang

545

ad pellem nudare et quaerere et cum tormento aurum extor-
quere. Interea nos onera camelorum dejecta solvimus et dis-
ligavimus et illorum miserorum res dispergere incepimus, ipsi
autem stabant cum tremore et fletu respicientes. Cum haec
agerentur, accessit secrete ad Calinum unus de illis Arabibus,
qui in sero praecedentis diei ad nos intraverant, dicens pe-
cuniam esse inventam. Statim autem Calinus clamavit, ut
cum pace procederemus, quia aurum inventum esset. Reo-
neratis autem camelis processimus et dominus ille a Calimo
pecuniam accipiens unum ducatum illi Arabi donavit. Erat
autem Arabs ille simplex aspectu, vultum probum praeferens,
et dicebant alii Arabes de eo, quod quodam alio tempore
thesaurum magnum in deserto reperit, qui ceciderat, eumque
suis dominis reportavit.

Processimus ergo per campum illum taediosissimum et
tota die in intensissimis caloribus proficiscebamus usque ad
solis occubitum. In quodam ergo loco, dicto Maßfrach, juxta
publicam stratam manere decrevimus, locantes autem nos,
tentoria non ereximus, quia palos in tenuissima arena figere
non valuimus et cum hoc taediosi et lassi eramus, nec illa
nocte coximus, quia nullam materiam pro igne invenire pote-
ramus. Porro Calinus praemonuit nos, ut illa nocte diligenter
vigilaremus, quia ibi esset periculum propter profugos,
qui pro tempore de Aegypto in desertum pelluntur propter
demerita. Illi in istis locis latitant et saepe valde transeuntes
perturbant. Dormivimus ergo illa nocte cum inquietudine,
tum propter timorem (74a) incursum, tum etiam propter
ventum et frigora, quae nos premebant. Jacuimus enim sub
divo lassi et laboribus ac miseriis deserti extenuati et non
aliud refrigerium habuimus, quam quia scivimus, terminum
laborum appropinquare et finem solitudinis non longe abesse.
Totius mundi substantiam non accepissemus, quod adhuc per
quindeniam in deserto manere oportuisset, quia laborem illum
amplius tolerare videbatur nobis impossibile. ^{24. XI.}
_{12. V.}

